



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon  
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs  
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,  
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

**Pontano, Giovanni Giovano**

**Venetiis, 1519**

Poeta Personatvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12960**

ANTONIUS  
POETA PERSONATUS:

Ipse autem auratis fulgens Sertorius armis  
Agmina coquebat campis. huic filius aetate  
Hernicus, hispaniaque satus de matre Marullus.  
Hic peditem, ille equitem addensat. sua signa tribuni.  
Expediunt. portis ruit indignata inuentus  
Praeuenisse hostem, et montis iuga celsa teneri.  
Non aciem campo statui, aut dare signa manipulis  
Pompeianus eques patitur. uolat agmine facto  
Praecipitans. Primum, Mariusque, acerque Seuerus  
Occultam nacti uallem, qua proxima ducit  
Semita, limosumque ferunt uestigia ad amnem.  
Astitit in ripa Marius prior. hunc uada nantem  
Accipiunt tranquilla, ferox sed flumina seruat  
Manlius. hic duro traiecit pectora conto  
Perussitque ferum saxo. caput abdidit alueo  
Attonitus sonipes. Marium rapit unda dehiscens,  
Atque haste rotat infixum. fortuna Seuero  
Haud melior fuit. Acta manu caua tempora quassat  
Funda leuis, cerebroque lapis compactus adhæsit.  
Decidit ex animis, uitamque effudit in undis.  
Ter flumio emerfit iuuenis. ter gurgis anhelum  
Hansit hians, mox et trunco suffixit acuto.  
At catulus, catulique genus Quintillus, et asper  
Tertullus, patrumque heres cognominis oscus,  
In leuam flexere. Comes simul additur illis  
Hispanus Bicta, exclamans. Quo uertitis? huc uos  
Huc iuuenes. Itē ad pontem. Dux ipse uiarum  
Praecedo. Dixitque et per uestigia nota  
Delatus, pontem ingreditur. tum cetera pubes  
Insequitur. furit inmissis equitatus habenis.  
Obuius his equitumque ciens, peditumque cateruas  
Fit Rutilus, rutilique gener Veranius, et qui  
Prima puer musis dedit otia. moxque secutus  
Arma, tulit meritum primæ legionis honorem  
Pontius. a quo etiam ducta est pontana propago,  
Quem sequitur, uolucerque Melas, alacerque Metiscus  
Et Pardus gladio melior, Chariteius hasta



insignes hederis, meritaq; ad tempora fronde  
 Et cui casta comas tegit insula, certus & arcu  
 Et certus conto pugnax Coruinus acuto-  
**P**rimus in aduersum torquet Veranius hastam  
 Quintillum, quæ præcipiti delapsa ruina  
 Per clypeumq; femurq; uiri, penetravit ad inum  
 Pectus equi. genuit sonipes. Dumq; excutit illam  
 Innitens, dum ferratis hic calcibus auras  
 Verberat, ex cussa. Quintillus labitur hasta.  
 Accurrit pater, ac telo per tempus adacto,  
 Deturbat Rutilum. Inde Melas dum feruidus instat  
 Dum catulo cadit auulsus de pectore thorax  
 Exegit medium præcordia ad intima ferrum.  
 Labenti dum ferrum iterumq; iterumq; coruscant,  
 Sensit præcipitem uento stridente sagittam  
 Quam dum declinat inuenis, forte ilia in oscum  
 Obuertit, lateri & telum crudele recepit.  
 Extraxit telum obnitens, ac talibus infit.  
 Non tibi mentitum osce genus, ueteresq; parentes  
 Profuerint, Fauno aut mater dilecta petenti.  
 Tum clypeo assiliens, ensem quatit, & ferit ora  
 Nuda osce, cum forte leuis ceruice reflexa  
 Cassis hiat. cruor auratis diffunditur armis.  
 Ingeminat perq; ora Melas, perq; ilia ferrum.  
 Ipse iterum lateri accepit moribundus acutum  
 Ensem, auratum ensem, mox corrui, acer & una  
 Corruit oscus, & ingenti premit arua fragore.  
**A**ttontæ stupere acies. At Pontius instat,  
 Ite uiri, mecum ite uiri. Sucidite pontem  
 Dum trepidant, nullo & liber custode tenetur.  
 Hæc ait, & rapta primus uolat ipse securi.  
 Desilijsq; pedes. Sequitur cuneata inuentus.  
 Tum Bicia increpitans. Quo nunc Tertulle? quid hæres  
 In ferrum Romane rue. Atq; hinc talia fatus  
 In medium incurrit peditem. nec desuit illi  
 Tertullus. uolat aurato conspectus in ostro  
 Nunc iaculo, nunc ense micans. fit ui uia. sænit  
 Effera uincens rabies, rabiesq; cadentum.  
 Forte ut erat prolapsus equo Veranius, alte



ANTONI V S

Sustulit attollens oculos, telumq; uibrantem  
 Suspexit Biciam. Quo tu quo pessime telum  
 Carpetane uibras? en hoc ait accipe, & armos  
 Vna haurit. simul abreptas detruncat habenas  
 Bellatoris equi. tum communis ense reducto  
 Perforat, ingentemq; alta prosternit in herba.  
 In Biciam se cuncta cohors supata ferebat.  
 Pro Bicia ferus assurgit Tertullus. At illi  
 Suicidit iugulum parca indignante Metiscus.  
 Concidit ut tenuis cum flos enectus aratro est  
 Insignis facie puer, & florentibus annis.  
 Nec mora siue aliquis, dubium, miles ne deus ne  
 Sustuleritq; manum, iaculumq; intorserit, intrat  
 Loricam galeamq; inter ferratilis ornus,  
 Qua ceruix commissa humeris, nam fata Metisco  
 Nec sua non properant, Biciae seu cana senectus,  
 Cui caput amissum collo maurisius Atlas  
 Atq; hastae infixum ostentat. Quo territa retro  
 Pompeiana acies, pontem turbata petebat.  
 Urgebat fugientem hasta Chariteius, ut se  
 Proripit e specula. simul & clamore premebat  
 Iuncta cohors. Illi abruptis referuntur habenis.  
 Sauiat hic gladio incumbens Coruinus & harpe  
 Ut quondam lupus in pecudes furit. omnis ab uno  
 Grex fugit. Ille atrox et dente cruentat et ungui.  
 P ontius ut sensit strepitum, ac nutantia uidit  
 Robora, & attrahere immanem tabulata ruinam,  
 Cede inquit generosa Phalanx fugientibus. ipsi  
 Ferratis ad ripam hastis incumbite, qua se  
 Voluit agens, retroq; uagus conuertitur amnis.  
 H ic uero turbatus eques clamante tribuno  
 Constitit. Instaurata acies. Tum Pardus & actor  
 Sulpitiusq; Aniusq; & auiti nominis Arunx  
 Incumbunt, uariusq; & poeno e sanguine Hiensal  
 Marmaridesq; Mahar, Ailantiadesq; Maharbal  
 Et Bostar barceus, & Pyreneus Hierus  
 Androclidesq; Maron, Antenoridesq; Boriscus,  
 Atq; alij, decus egregium, quos traxit in arma,  
 Quiq; repostus equo Veranius, agra trahebat



Corpora, sed vincit fama generosa cupido.  
 M eonia nunc plectra Deae cantusq; ciete.  
 Et bello decus, & decori longam addite famam.  
 Non alias equitum maior, seu maior equorum  
 Ardor, utrinq; duces simulant, utrinq; tribuni  
 Statureiri, pugnatu uiri, clamatur utrinq;.  
 Quo ruitis, Pompeius adest. incumbite fessis  
 Impiger aduentat Sertorius. arma cruore  
 Sparsa madent, crepitantq; enses, clypei q; resultant  
 Impacti clypeis, fractae q; hastilibus hastae.  
 Tum uariis, clamorq; equitum, atq; hinnitus equorum,  
 Dissultant ripae, & uoces nemora alta remittunt,  
 Non aliter quam cum bello flagrante gigantum  
 Aeoliam ad Liparen sudat uulcania pubes.  
 Fit strepitus, ferri q; flumit, aeris q; metalla.  
 Antra sonant ualidis incudibus. itq; cauernis  
 Immistus fumo sonitus. caua murmurat Aetna  
 Vicinae q; fremunt ualles, maria ipsa resultant,  
 Ac longe fragor ingeminans defertur ad auras.  
 Hic pardo suffosus equus. cadit impiger acto  
 Androclides q; Maron. traiectus et ilia conto  
 Corruit infelix Arunx, Bostar q;, Mahar q;,  
 Ense Mahar, iaculo Bostar per pectus adacto.  
 Sulpitius dextra exsecta, leua q; Maharbal  
 Inuiti excedunt pugna. Veranius hastam  
 Cruere trahit, Dum q; illam Annius conuellere tentat  
 Accipit aratam per colla exserta bipennem.  
 Tum uero turbata phalanx cedente Borisco,  
 Quem clypeo exsutum & galea Catilina premebat.  
 Syllanum genus, & rara uirtute tribunus,  
 Vociferans. En qui hesperiam sua praemia poscunt  
 Oceano & regnare parant. Simul exigit harpen  
 Ore tenus, dictis q; ferox insultat amaris.  
 Hesperiam quam quaeris habes. Patauina colebas  
 Rura miser, nunc auratis oacumbis in aruis.  
 Tum Fabium, Titium q; ferit, flauum q; libyscum  
 Fonteium q;, & quoselice de matre gemellos  
 Sustulit eleis praetor Vipsanius oris  
 Almonem, Andronem q;, & cumarum abeonem.



ANTONIVS

Dat læto Laufenum, & amicum Nerea musis,  
 Nerea præstantem forma, & puerilibus annis  
 Quem liquidis sebethos aquis, quem cerula fleuit  
 Parthenope, quem Nereidum chorus omnis, & udæ  
 Sirenes conturbatis fleuere sub antris.

H as inter strages, uariusq; & fortis Hienfal  
 Stabant inuicti ferro, triduntq;, trahuntq;,  
 Vulnera dant, sternuntq;. prior sic fatur Hienfal.  
 Macte Vari uirtute, uides qua sorte ruat res?  
 Fraude opus est. hunc ipse locum cape, dum mihi se gnis  
 Fit fuga. uix hæc effatus uestigia uertit.  
 Insequitur Catilina, fugam celerabat Hienfal.  
 Itq;, reditq; iter inceptum, fallitq; sequentem,  
 Dum uarius iaculum incoctum post terga sub ipsum  
 Infigit femur, & dictis ferus increpat. Ille  
 Saucius ingemuit. uixq; ad sua signa recepit.  
 Incumbunt tum uictores, uictiq; facessunt.

P ontius interea positus uada ad ipsa maniplis  
 Hos cogebat, & hos, ut quem fors ipsa ruentem  
 Obtulerat, tumultumq; leuis delatus in altum  
 Euentum pugnae ut uidit turbatus, & amens,  
 Huc inuenes, simul ad pontem uestigia uertit.  
 Insequitur pedes, atq; eques. agglomeratur eodem  
 Cuncta manus. simul ecce etiam fulgentia signa  
 Cernere erat. uolat admissis Sertorius alis.  
 Parte alia de colle procul romana ferebat  
 Se legio. uolitant aquilæ. Petreius ante  
 Agmen agit, primusq; uias & flumina monstrat  
 Ut uentum ad ripam stetit impiger, & monstrato  
 Ponte, iubet primam confestim anteire cohortem.  
 Ingemuere trabes, succisaq; robora nutant  
 Assultu peditum uario. Tum pulsus ad amnem  
 Cedebat Catilina, omnisq; equitatus habenas  
 Laxabat, præmissa cohors tabulata tenebat  
 Vltima, per medium raptat uestigia pontem  
 Pulsus eques. Ruit ecce trahens peditemq;, equitemq;  
 Pons secum, præceptq; cauo deuoluitur alueo.  
 Substitit amnis. tum ripæ intumuerunt profundæ,  
 Conuersusq; ni gras fluminis ruptabat arenas.

A. tonitus casus



A ttonitus casu tanto, Petreius amnem  
 Spectabat. uolabat acta manu coribantis arundo  
 Atq; ocreis illapsa, femur penetravit ad imum.  
 Pontius e' ripa exclamat. Nunc uadite segnes  
 Et ripam tentate dolo. cum talia fatur.  
 Diffundit sese in partem, ripasq; relaxat  
 Turgidus amnis aquis, uoluitq; ad littora fluctu  
 Arma, uiros, tabulas, & corpora quadrupedantum  
 Stant pedites innisi hastis, uersantq; ruuntq;  
 Semineces. spoliant alij, passimq; secundum  
 Flumina, suspendunt alte spolia indita ramis.  
 Exanimem implicatumq; ulua fluctusq; uouementem  
 Eruptant unda Catilinam. Ille aera ut alnum  
 Hausit, & accepit gratæ spiramina uitæ.  
 Apprendit ramum dextra, tenuitq; prehensum.  
 Hinc illinc oritur clamor. pugna aspera surgit  
 Fundarum, crepitat lapidosus ictibus amnis  
 Turbibus, & multo sub uerbere dissilit aer.  
 Exceptus tandem a socijs conamine magno  
 Curuatis trahitur contis, ripaq; locatus  
 Vltiore, uomit madidas de pectore arenas,  
 Cum subito rapidum affertur Sertorius amnem,  
 Et pugnam tuba terribili ciet horrida cantu.

## HISTRIO PERSONATUS.

Vieni ut uidetis uates istricus.  
 q Sitim pati non potest. quod homericum  
 Ait fuisse, seq; similem illius  
 Mero potando noctu, atq; interdium.  
 Bonum poetam nisi uino sum neminem  
 Ait. & id recte, & quod ait re comprobat.  
 Heus tu cui nasus, ora, labra, guttura  
 Rubescunt, uin potando hoc experirier?  
 Taces. fateris uictum. nunc hoc accipe.  
 Vides fortuna uariet ut hominum uices?  
 Pugnant illi de uirtute & gloria.  
 Nos de mero. pugnant ferro hastilibus.  
 Nos uitro, nos argenteis archesis.